

re ea, quæ sunt aliorum. Et alter Italo sermone, sic eisdem suadet (g): *Che la soverbia ambition loro, Sfogassero nel far acquisto de la segnalata gloria di ben governar, i popoli che Dio ha conceduti loro, non con lo empio mezzo de gl' incendii, delle rapine, & del' effusion di copia grande di sanguine humano, affectar gli stati altrui.*

42 Ut omittant punitionem Divinam, quam non raro, qui secus faciunt, perpeti solent, nempe, ut dum alienis invident, propria perditum eam. Quod satis Cures Piezeningorum Princeps apud Livium (b), & Strabonem (i) admonuit, dum in cranio Suetislaï à se ob hanc causam interfecti, quo ad potandum uti consuevit, has literas posuit: *Hic querendo aliena, propria amisit.* Et in idem tendit sapiens illa Oratio Demosthenis contra Aristogitonem, & cujusdam Scythæ apud Quintum Curtium (k), quibus ostenditur, multos sæpè numero dum majora concupiverunt, ea quoque, quæ jam obtinebant, amississe, & ex culmine ad quod contendebant, unà cum ipsis ramis, quos apprehenderant, decidisse. Quibus conveniens Dion is. Halicarnas. (l) turpe esse ducebat: *Viro Principi, ob rerum alienarum cupiditatem bellum non necessarium sustinere, in quo se & suas fortunas in periculum sit adfuturus.* Et Procopius (m): *Id longè esse præstantius, sua ut quisque securè possideat, quam dum aliena nimium appetit, de necessariis admodum rebus periclitetur.* Certè enim certum est, quod à Valerio Maximo (n) docemur, eam demum potentiam tuam esse, quæ viribus suis modum imponit; & à Cornelio Tacito (o), quânto plus aliquis adeptus sit, tantò magis in lubrico esse. Quam in rem plura alia adijcere supersedeo, quæ hanc nostram assertionem illustrare possent, quoniam apud magnum illum Lipsium, Amiratium, Bodinum, Boterum, Keckermanum, & novissimum Nicolaum Benergerum (p), videri poterunt.

43 Ergo, ut verbis Sapientiæ (q) concludam, *Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, & placetis vobis in turbis Nationum;* Et quibus Dei munere datum est, plura simul Regna & ditionis justis & legitimis titulis obtinere, ut in gloriosis Hispaniæ nostræ Regibus contigisse videmus, & Phil. Mainoldus (r), Borrellus (s), Zipæus (t), & alii latius ostendunt, eas majori cura, prudentia & dexteritate gubernare cõentur, ita ut conservari, & coalescere, & si fieri possit eisdem linguis, legibus, ac moribus temperari, mutisque inter se nexibus copulari atque ubi res poposcerit, aliæ aliis auxilium præbere.

44 Quod per unionis medium consequi solet, cujus latam utilemque materiam plures Auctores (u) doctè pertractant, simul notantes, in nostra Hispaniæ Monarchia diversis temporibus diversos tractatus intervenisse circa unionem Comitatus Flandriæ, Regni Aragoniæ, Lusitaniæ, & aliorum, quæ in ipsam incorporata sunt. Quod si (ut oportuit) peractum fuisset, aliquibus difficultatibus, quæ hanc utilissimam resolutionem retardarunt, spretis vel superatis, fortè damna & defectiones, quas hodie patimur, non lugeremus. Etenim ut benè post Polibium (x) & alios (y), de simili unione agens, tradit Alber. Gentilis (z), impossibilia quæ videntur tempore facillima redduntur: nec ulla re utili abstinendum est, propter apparentem difficultatem, & quàm multa fieri non posse, priusquam facta sunt, judicantur.



EM.

(g) Traj. Boccacin. centur. 2. Rag. 6.

(b) Livius lib. 23.

(i) Strab. lib. 7.

(k) Curtius lib. 7. cap. 8.

(l) Dionys. Halic. lib. 8.

(m) Procop. lib. 2. de bello Goth.

(n) Valer. Maxim. lib. 4. cap. 1.

(o) Tacit. 1. an. cap. 72.

(p) Bernerg. ex Lips. &amp; aliis, quart. 189.

(q) Sapient. 6. 3.

(r) Mainol. de tit. Reg. Phil.

(s) Borrel. de prest. Reg. Cath.

(t) Zipæus de Magistr. pag. 428.

(u) Bod. Gasp. Facius, Harnis. &amp; alii apud Besoldum.

de increm. Imp. cap. 5. per tot. Zipæus contra Cassan. lib. 1.

cap. 8. &amp; seqq. Connestagus in hist. Regn. Portug.

(x) Polyb. lib. 11.


(y) Plin. lib. 7. cap. 1. Senec. epist. 104. Ego 2. tom.

lib. 1. cap. 16. num. 55. &amp; 56.

(z) Albert. Gentil. in disp. de union. Britan. &amp; Scotia.

## EMBLEMA LXXXVIII.

## INGLORIUM, PRO SOLA GLORIA CERTAMEN.



*In Fastum cristata micat gens murice caro  
Tincta, nec in plumas, lex jubet, arma ruant.  
Sic tumidi Reges, Majestatisque superbæ,  
Prælia conglomerant, bellaque fastus agit.  
Jura vetant, fovet ira globos: est crista corona,  
Rexque refert Gallum, dum furor arma regit.*

## COMMENTARIUS.

**I** T si verum sit Taciti (a) documentum, Principibus insatiabiliter parandam prosperam sui memoriam, & præcipua rerum ad famam dirigenda: Rectèque Bodinus (b), ex sententia Aristotelis, Principem instituendum putet, ut solida veraque laude pascatur, in eaque sensim adolescat, qui si gloria (inquit) non erit contentus, in tyrannum evadet. Hancque ipsam famam & gloriam multi ex eisdem Regibus & Principibus sibi solam ex bellis, quæ fortiter feliciterque gesserunt, sumere & reservare voluerint, ut Dentati, Æmili, Catonis, Themistoclis, & aliorum insignium Ducum, seu Imperatorum exemplis Philippus Camerarius (c) & Bejerlinchius (d) observant, inter quos Regem nostrum Alfonso IX. enumerant, qui nihil præter gloriam victoriæ in partitionem immensæ prædæ celebris belli, quod vocant de las Navas de Tolosa, sumere voluit.

2 Hos tamen de fama & gloria, quæ ex præliis justè legitimeque iniit, aut susceptis, & fortiter debellatis, comparari solet, accipi debet: nam si superbè atque ambitiosè, ob solam levem hanc gloriæ auram & cupiditatem, Princeps in bellum erumpat, seque ac suos tumidè, ac temerè incertæ Martis alex committat, & si suis votis Fortuna respondeat, totumque orbem suo Imperio subjiciat, inglorius potiùs, quàm gloriosus evadet, & non tam victoris, quàm rap-

(a) Tacit. 4. an.

(b) Bodin. in meth. hist. cap. 6.

(c) Camer. 1. subces. cap. 78.

(d) Bejerlinc. verb. Bellum, pag. 115. &amp; verb. Præda, pag. 567. &amp; seq.



toris, prædonis, vel latronis nomine virtus & mortuus donandus existet, ut omissis Cressi, Militiadis, Themistoclis, Syllæ, ac Marii, Pompei ac Cæsaris, Tamberlanis, & aliorum exemplis, quibus stimulus dedit amula virtus, & sola sua ambitione inanique gloria ducti, tot bellis univetsum Orbem proprio, & alieno sanguine cruentarunt, Alexander Magnus omnium vice ac voce testari poterit, qui multis alioqui virtutibus clarus, ob hoc vitium à Demetrio Pyrata latro vocatus fuit, ut post alios D. Augustinus enarrat (e), & bene sensit Poeta (d), qui de eo sic dixit:

Illic Pallæi proles vesana Philippi  
Felix prædo jacet, totum spargenda per orbem  
Membra viri posuere adytis

A Seneca (g): Furiosus juvenis, & à Lucano (h): Terrarum fatale malum: fulmenque, quod ipsum percuteret populos pariter, & Sydus iniquum gentibus, Et recentior Alter, ipsius famam hoc Epigrammate ridens, sic canat?

Magnus Alexander, Prædo clarissimus Orbis,  
Exitio vivens, ludibrio moriens:  
Perdere quem nequit Mars armis, Baccus inermis  
Perdidit, innixto cum Stygis amne mero.  
Fama dira famas extinguit hac fine, cruoris  
Hoc fine extingui debuit attra sitis.

3 Quod aded est verum, ut etiam Jesus Nave, dum mandato domini Cananæos, Amalechitas, aliosque populos Palestinæ debellabat, ab iis, qui Domini præceptum ignorarunt, eodem latronis nomine donatus extiterit, si Procopio (f) fidem habemus, qui testatur se in Mauritania, Africæ regione vidisse quasdam columnas hisce literis insculptas, Nos Maurusii, qui fugimus à facie Jesus Latronis, filii Nave, &c.

4 Est enim certum, benè moratos cordatosque Reges, non tam ab armis, quàm ab animis & virtutibus, & ab omnium rerum, quas gerere parant, ac præcipuè bellorum, justificatione, & moderatione, gloriæ lauream, & posteritate commendabilem sui nominis memoriam expetere debere, & ut Tacitus (k), inquit, Modestæ famam, quæ neque summis mortalium spernenda est, & à diis æstimatur.

5 Unde Tragicus præclare, ut solet, admonuit (l), per has tantum Scansiones ad gloriæ famæque Templum eundem esse, cujus Carmen jam supra (m) produxi. Idemque (n) post Sallustium (o), effrenem hanc cupidinem in Alexandro, Cyro, Dario atque adeo in Romanis ipsis vituperat, & Jacobus Fontanus (p) barbaram illam, barbari Solimani Turcæ orationem, qui post Rhodum insulam debellatam, & Hierosolymitanos Equites, qui ea potiebantur, eisdem liberis, & intactis fortunis abire jussis, hæc in verba prorupit: Haud enim bella gero, ut divitias & opes comparem: sed ad gloriæ, famam, immortalitatem, protelationem Imperii tendo. Est enim Regis, sanguine Regum orti, proprium, rapere atque invadere aliena, non quidem avaritia, sed gloriosa cupidine dominandi, cui cum obstat vicinus, armis, & vi eum tolerare satis habeo.

6 Et Alfonsus quoque Rex Noster, ita in quadam (q) ex suis legibus habet: Sobejanas honras, è sin pro, non debe el Rey codiciar en su corazon, ante se debe mucho guardar de ellas, porque lo que es ademàs, non puede durar, è perdiendose, è menguando, torna en deshonra. E la honra, que es desta guisa, siempre viene daño de ella al que la sigue, nasciendole ende trabajos, è costas grandes, è sin razon, menoscabandole lo que tiene, por lo al que codicia aver.

7 Et omnes, qui de Bellorum materia pertractant, non aliter in ea, prorumpendum edocent, quàm si prius legitime discussa fuerit causa pugnandi, quæ ut D. Bernardus (r) inquit, ubi bona est, pugnae exitus malus esse non potest. Cum quo convenit illud Lucani (s):

Causa jubet superos melior sperare secundos  
Propertii (t),  
Frangit & attolit vires in milite causa,  
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor.

Et melius Livii (u), sic appositè commentis: Plerumque eventus belli, velut æquus Juxta, unde jus stabat, et victoriam dedit: quamvis justitia Belli, non ab exitu, sed à causa venanda est.

(e) Lucan. 1. Phars.  
(f) D. August. lib. 4. de Civit. Dei, cap. 5.  
(g) Senec. 1. de benef. cap. 13. & Epist. 94.  
(h) Lucan. lib. 10. vers. 21.  
(i) Procop. in vita Belisarii, & ea eo Beroald. de increm. Imper. cap. 4. pag. 20. & 21.  
(k) Tacit. 5. ann.  
(l) Senec. in Octavo.  
(m) Sup. Emb. 76.  
(n) Sen. epist. 94. ad fin.  
(o) Sallust. in fragm.  
(p) Jacob. Pontan. de bello Rhod. lib. 2. in fin.  
(q) L. 3. tit. 3. part. 2.  
(r) D. Bernar. in serm. ad milit. tem. cap. 1. D. Aug. epist. 194. Ego plures adducens tom. 1. de Ind. Jur. lib. 2. cap. 4. n. 42. & lib. 3. cap. 2. num. 23.  
(s) Luc. 7. Phars.  
(t) Propert. lib. 5. Eleg.  
(u) Livius. lib. 1.

Dig-

8 Digna quoque relatu sunt Claudiani (x) in eandem rem Carmina, quæ sic habent.  
Extruite immanes scopulos, attollite turres,  
Cingite vos fluvii, vastas opponite sylvas  
Non dabitis murum sceleri: qui vindicat, ibit.  
Omnia subsident meliori pervia causa.

9 Et verba planè aurea Regis nostri Alfonsi X. sic in una ex suis legibus (y) perorantis: Mover guerra es cosa en que deben mucho parar mientes los que la quieren facer, ante que la comienzen, porque la fagan con razon, è con derecho, è à desto vienen grandes tres bienes. El primero, que ayuda Dios mas por ende à los que asi la facen. El segundo, porque ellos se esfuerzan mas en si mismos, por el derecho que tienen. El tercero, porque los que lo oyen, si son amigos, ayudandos de mejor voluntad, y si enemigos, razelanse mas de ellos, &c.

10 Quod consilium, injustorumque, & ob solam inanis gloriæ aucupationem, susceptorum Bellorum detestationem, nos pariter Principibus suadere cupientes, & aliquo Emblemate spectandum proponere, hoc, Lector, quod vides, commenti sumus, ex duorum gallorum gallinaceorum, inter se acriter decertantium, representatione deductum, quos Plinius (z) & alii plures Auctores scribunt, natura sua pugnacissimos, ac ferocissimos esse, proximèque gloriæ sentire, & ea sola percitos, dimicatione inter sese Imperium, & Regnum uniuscujusque domus acquirere; veluti ideò agnata tela cruribus suis intelligentes. Neque finem sæpè commorientibus; quod si Palma contigerit, statim in victoria canere, seque ipsos Principes testari, victos, occultari silentes, ægrèque servitium pati. Qua de causa, idem Plinius (a), Tanagraeos, Medicos, & Calcidicos Gallos extollit, quod ad bella tantum, & assidua prælia nati videantur; & Pergami omnibus annis spectaculum Gallorum, ceu Gladiatorum, publicè edi affirmat.

11 Quin & Athenienses etiam, legem posuisse, ut Galli gallinacei quotannis in teatro certamen inirent, ex Æliano (b) & aliis (c) didicimus, eam hujus legis causam reddentibus, quod cum Themistocles exercitum adversus Barbaros educeret, sumpta ex Gallis, quos pugnantes vidit occasione, militum suorum animis virtutis incitamentum adjecit, cum ostenderet, eos, non pro Patria, neque pro Penatibus, neque pro Majorum Sepulchris, uxori busve, aut liberis, id incommodi aggressos, sed ea tantum de causa, nec vincerentur, nolle alterum alteri cedere, solamque victoriæ gloriæ, pro maximo acris, & cruentæ pugnae præmio reputare.

12 Ita etiam ferunt, Sosiadem Iphicrati Duci animos adjecisse, cum gallinaceos coram gallinis, pennis & rostro dimicantes, ei præmonstrasset. Romæ quoque olim idem spectaculum moris fuisse, & inde veluti origine ducta, hodie quoque in pluribus Italiæ locis, & in Gallia, Flandria, Anglia, Hispaniaque nostra, sæpè, sed præcipuè Bachanalium tempore, exhiberi, post Lucianum, & Herodianum, Beroaldus (d), Boerius (e), & novissimus Daniel Souterus (f) recensent, & qualiter in Anglia, magna pecunia sponiones per Gallorum dominos super ipsorum concertationibus fiant, Doctor Laguna (g) oculatus testis scribit.

13 Quibus accedens, magis adhuc in rem nostram Jacobus Brukius (h) sub eadem Gallorum pugnantium figura ob leves causas incertam bellorum aleam, & certa damna, quæ secum semper portant, tentanda non esse, hoc carmine, sive Emblemate monuit:

Sæpius ex parvis oritur contentio rebus,  
Magna solet cædes hinc quoque cruda sequi,  
O frædas hominum mentes que vilia propter,  
Infecta æternam pectora felle gerunt.

Et Pierius Valerianus (i) hinc colligit, gallum, pugnantium pro gloria antiquissimum hieroglyphicum esse, & omnium pugnacissimos Rhodon insulam habuisse: seque multoties his pugnis oblectatum. Quod repetens Camerarius (k), lepidam narrationem quosdam pugnae duorum gallinaceorum ex Petro Quenquerano (l) recenset, & cum eodem Valeriano subjungit ex Julio Africano, hanc pugnacitatem ex lapide in eorundem gallorum ventre reperiri solito, satis ostendi quem, qui in ore, aut brachio gesant, majus robur virtutemque ad pugnandum recipere, reditum est.

14 In eademque respicientes Spartani ut ex Plutarcho (m), doctè Nicolaus Cragius (n) observat,

(x) Claud. in 4. cons. Honor.  
(y) L. 2. tit. 23. part. 2.  
(z) Plin. lib. 10. cap. 21.  
(a) Plin. ubi sup.  
(b) Ælian. de var. hist. lib. 2. cap. 31.  
(c) Alex. lib. 9. gen. cap. 13. Rhodig. lib. 17. cap. 32. & lib. 9. cap. 3. Pier. lib. 24. pag. 223. Eras. in Adag. Gallus insultat. pagin. 692.  
(d) Beroald. ad Sueton. in Octav. cap. 64.  
(e) Boet. decir. 30. num. 6. Ego de parricid. lib. 1. c. 16. part. 71.  
(f) Souter. in Palam. rive de Ludis lib. 3. cap. 6.  
(g) Lagun. ad Dioscorid. lib. 2. cap. 43.  
(h) Bruch. Emb. bellico 2.  
(i) Pierius. ubi sup.  
(k) Camer. 2. subcess. cap. 89.  
(l) Quenquer. de laud. provinc. lib. 8.  
(m) Plutarc. de instit. Lacon.  
(n) Cragius. de Repub. Laudem. lib. 3. instit. 14. p. 216.



vat, pro cruentis victoriis Gallorum immolabant, bovem autem pro consilio industriæ partis. Et Samotrachæ in bellum ituri, ut Horoscus (o) commemorat, vexilla sua duobus gallis decertantibus insignibant, sic indicare volentes, quem ipsi in eodem bello vigorem, ac virtutem habituri essent. Iidemque Romani, secundum Pierium & alios (p) licet prisco religiosoque more, post Feciales ad hostes, pro suis rebus repetendis, legatos, & non exhaustos, hastam, belli signum, in hostium, fines conjicere solerent; posterioribus tamen seculis, non hastam sed galeaceum projecerunt.

15 Quod & ipsum in causa esse videtur, ut & olim & hodie, ad imitationem cristarum, quæ in eisdem gallis, ipsum muricem colore vincentes, in Coronæ formam splendent (quos hac de causa *Cristatam cohortem* Apulejus (q) appellat) militum galeæ in cono cristatæ, plumisque ornata, gestari cœperint, ut passim, vel ex antiquis numismatibus constat, & ex militum Persarum exemplo, qui Galli nuncupabantur à Caribus, ob conos quibus galeas ornatas habebat, latè Virgillii (r) Expositores in illud ejusdem observant:

*Tum galeam Messapi habilem, cristisque decoram  
Induit &c.*

16 Qui mos ita Gallorum Regibus placuit, ut Cedreno (s), Aimonio (t), & aliis (u), testantibus, *Cristati* appellati fuerint, propterea quod cum prælio decertarent, nodatum capillitium in galeam, quasi cristani, erigerent, idque insigne in præliis haberent. Quibus & ipsis, ita hæc Gallorum Pugnacitas placuisse videtur, ut Petrus Belorus (x), Aubertus Myræus (y), & alii testentur, Equestrem ordinem instituisse, sub titulo Galli gallinacei, quod eum Martis pullum Aristophanes, & Eucherius, Imperii symbolum esse doceat, & in Augurali disciplina victoriæ signum sit, ex rationibus & exemplis supra relatis. Dardanique secundum Pollucem (z), in magnum Pugnacitatis decus, ut & Gallo Franci, sibi pro insigni suorum numismatum antiquitus usurpaverint:

17 Quæ omnia notare volui, ut facilius omnes intelligant, quàm sit certum illud vulgatum (a).  
*Conveniunt rebus nomina sæpè suis.*

Cum hæc gallorum gallinaceorum natura, pro sola gloria pugnandi, rivalemve non ferendi, Gallis etiam Regibus, & gentibus cum ipso nomine veluti connata, & antiquissima sit, & à Majoribus in posteros efferaciori semper rabie pertransiens, magisque ei deferre soleant, quàm titulis Christianissimorum, aut Justissimorum, quibus simul gloriantur, & se ipsa magis gaudent & splendere deberent.

18 Quo enim modo *Christianissimi* dici poterunt, qui Christum non imitantur? qui ut jam supra (b) cum Divo Paulino (c) dixi:

*Ipsa Pietas est, ipsa justitia,  
Sol æquitatis, Fons bonorum, Flos Dei.*

Aut Justus? (d) qui alienas Regiones ambiunt, & inani gloria augendi nominis ducti, nihil eis ad aliud egentes, invadunt, & ferociter deprædantur, cum juxta celebre illud Herodoti (e) apothegma: *Qui justus est, non alienam regionem affectat, sed sua est contentus; nec homines à quibus nihil lacessitus est, in servitutem redigit.*

19 Cui adridet illud aliud Antigoni Macedonum Ducis à Plutarcho (f) relatum, qui Sophistæ librum cuidam de justitia scriptum, eidem offerenti. *Desipis*, inquit, *qui cum me videas alienas urbes armis vexantem, tamen apud me de justitia disseris.* Est quippe justitiæ proprium, ut ex Carneade tradit Lactantius (g), *alienum non attingere, & ut Plato (h) ait, non potest opus justitiæ censeris, nocere amico, vel alteri cuiquam, sed contrarii ejus injusti.*

20 Et hunc quidem morem, sive, ut proprius loquar, humorem, tumoremve Gallorum, omnes sanè Auctores, qui de moribus, sive iconibus Nationum scripserunt, apertè notarunt, hisque antiquior, & ipse Gallus, Salvianus (i), his verbis succenset: *Penè juxta te nullus intrepidus, nullus potest esse securus, Exturbas possessionibus suis vicinos tuos, habitatione, ac facultate proximos tuos: Numquid, ut scriptum est (k), super terram solus habitabis? Hoc quippe est, quod non poteris obtinere, quamlibet enim cuncta pervadas vicinum semper invenies. Respice quæso alios, quos*

(o) Horos. lib. 1. Emb. fol. 48.  
(p) Pier. & Camer. ubi sup.  
(q) Apul. lib. 2.  
(r) Virg. 9. Æneid.  
(s) Cedren. lib. histor.  
(t) Aimon. lib. 4. cap. 18.  
(u) Balth. de Vias. in Syl. Regia. pag. 38.  
(x) Pet. Belojus. in suis origin. cap. 11.  
(y) Miræus, de orig. ordin. milit. 2. part. ubi de Symbol. pag. 58. & 59.  
(z) Pollux. in onomast.

(a) Eras. in Adagiis, pag. 650. §. est, & aliud, inst. de donation.  
(b) D. Paulin. in pam. pag. mibi 471.  
(c) Ego sup. Emblem. 10. in princip.  
(d) De titulo Juris. quod sibi rumpis Lud. XIII. Vide Vias in Sylva Regia prima.  
(e) Herod. lib. 3.  
(f) Plut. in apoph.  
(g) Lactant. lib. 5. cap. 15.  
(h) Plato. de Rep. dial. 1.  
(i) Salv. de gubernas. Dei, lib. 5. ad fin.  
(k) Esaiæ. cap. 5.

quos velis nolis & ipse suspicis. Respice alios, quos velis nolis ipse miraris, &c.

21 Aliisque testimoniis & exemplis omissis, pro multis Ludovici XI. eorundem Francorum Regis sufficere poterit, qui etiam si agnosceret, & frequenter, ut Camerarius tradit (l), jactare soleret: *Dedecus, & detrimentum esse comites, ac velut pedisequas bellorum superbè temereque susceptorum, animo tamen elatus & inquietus, totam vitam, sub infelici fortuna, in eisdem transegit, & occasionem præstitit Philippo Cominæo (m), prudentissimo ejusdem historiographo, ut de ipso sic dicere poterit, Statuendum est igitur, fortunam, qua nihil est mutabilius, ei fuisse planè adversariam. Sed revera nihil aliud est fortuna, quam figmentum Poeticum, quin potius ita judicandum est, iratum ei fuisse Deum, & graviter offensum. Et si de consiliis arcanis fas esset ulli homini promutare, dicerem, illum excitasse iram Dei adversum se, hac una re potissimum, quod per omnem vitam mente, & animo totus in hoc fuerat, ut perpetuum bellum aleret. Nam in eo positam esse putabat suæ dignitatis materiam, ac veluti segetem.*

22 Eundem gloriæ avidum, & æque bellicosum spiritum Patrum nostrorum memoria, in Francisco I. experientia monstravit, ipsumque tandem ad Ticinum, victum & captum die XXV. Febr. anni M.DXXV. atque in Hispaniam deductum, Invidiosissimi, ac gloriosissimi Caroli V. Imp. Regisque nostri, cujus æmulatione semper exarsit, mancipem fecit, & proprio exemplo perdocuit, quanto damno, ac discrimini ejusmodi bella subjaceant. De quo casu, quoniam etsi notissimo, ab aliquibus Scriptoribus Gallis (quæ ipsorum est calliditas) in dubium vocatur, qui plura testimonia voluerit, Quignonium (n) nostrum legere poterit, & Beyerlinchium (o), qui addit, captivitatis annum, hoc tunc numerali versu comprehensum fuisse.

*Captus erat Gallus Coelva CVM rVe Cohortes.*

23 Nostrum quoque seculum eadem lues, ne dicam rabies, veluti in Gallis cristæ Regiæ annexa, & à Patribus in Filios cum sanguine derivata, graviter vexat, & labefaciat, Galliamque ipsam, & Hispaniam nostram (heu dolor) in solitudinem redigit, nullo justis, vel injustis, decori, vel indecori discrimine habito, sed sola naturali inter has Nationes antipathia, de qua integrum librum Modernus quidam Auctor scripsit (p), vel ob antiquam crescentis Hispanicæ Monarchiæ invidiam, & æmulationem, quàm Galli quoquo possint modo extenuare, ac comprimere tentant, non solum aperto Marte belligerantes, sed bellum etiam, quod dicitur, cauponantes, & ei subjectas provincias variis dolis, & artibus in defectionem, & rebellionem nostri Regis gloriosissimi pellicientes, statimque sub Protectionis titulo in earumdem occupationem, sive accupationem advolantes, & verè Galli, Gallorum more, ubi tale quidpiam pro voto (etiam sub longè majori ipsorum damno & strage) contigerit, quasi jam de tota Hispania triumphum egerint, magnis cantibus intonantes, & sibi invicem gratulantes.

24 Ecce enim quidam (q) ex illis, Portugalliæ defectionem, & Ruscinonis acquisitionem, ut Gallorum triumphum extollit, & jam per partes ad ipsos devenisse, inquit: *Quod olim, aut amicum, aut subditum Gallis veteribus fuit, reliqua Hispania nutante.* Et Alter, rerum vices, & fortunæ ludos pendens, glebamque hodie esse, ubi quondam Troja fuit, sic clangit, aut crocitur (r): *Cum hæc scribo, in Potestas Hispanica, que ab ævo de Orbis Imperio certabat, modo de salute desperat, hinc Lusitaniam, inde Catalaniam avulsam ingemit, nutantem Italianam, reserata claustra Iberiæ, æternos nature obices perruptos.*

25 In quibus planè mihi videntur in mustaceo laureolam quærere, cum ingloria sit gloria ejusmodi artibus acquisita, nec, ut aliud agens Cassiodorus (s) scripsit: *Quoties, quis superet, sed quemadmodum vincat inquiramus, juxta illud Taciti (t): Non fraude, neque occultos, sed palam & armation Pop. Romanum hostes suos ulcisci.* Cujus loci in rem de qua agimus, noster nuper meminuit Saavedra (u), sic subdens: *Indignacion de un Principe, vencer al otro con el veneno, i no con la espada. Por infamia lo turcieron los Romanos, como hoy los Españoles, no aviendo jamás usado de tales artes contra sus enemigos, antes los han asistido, &c.* Quibus signanter prudens illa Oratio Camilli, apud Plutarchum adijci potest. Qui cum Faliscorum pueri à suo magistro, mira fraude, in castra ipsius pertracti essent, gravis (inquit) res Bellum, & que multis injustis, multisque violentis factis conficitur. Et tamen apud bonos viros habentur etiam belli quedam leges, neque tantopere victoria expectanda est, ut non fugienda sint officia, que per scelus & malitiam offeruntur. Magnum enim Imperatorem suæ virtutis, non aliene improbitatis fiducia convenit bellum gerere.

26 Præterquamquod, imperia ita parta, non possunt esse diuturna, quin potius ante descende-

Yyy

(l) Camer. 1. subcess. cap. 55. pag. 246.  
(m) Comin. lib. 5. pag. mibi 509. & seq.  
(n) D. Joan. Quignon. in tract. de hac captivitate.  
(o) Theat. vit. human. lit. H. pag. 188.  
(p) D. Carol. Garcia de opposit. Gall. & Hispan.  
(q) Marisotus in hist. Maris. pag. 379. & seqq.

(r) Ant. Dadin. Alte. Serra. de ducib. & comitib. Gall. lib. 3. cap. 19. pag. 270.  
(s) Cassiod. lib. 1. ep. 22.  
(t) Tacit. 2. ann. Vide Eras. cent. 4. epist. 92.  
(u) Saaved. emp. 90. pag. 668.



re, quam conscendere soleant, & ipsos, qui nunc prosperis (ut sibi videtur) rerum suarum successibus tument, vice versa in adversos, quos aliis cupiunt, vel inferunt, deturbare, ut jam supra (x) aliud agens pluribus dixi, & bene prosequitur Justus Lipsius (y), aptissime colligens, in secundis nemo confidat, in adversis, nec diffidat, alterna vices sunt rerum, &

Sic vagans alias ad alium transit infortunium:

27 Hocque jam Galli in se ipsis experiuntur & dolent, gravissima damna, quae inanium horum bellorum occasione passi sunt, integro & satis docto, pioque libello collachrymantes, cui titulus, La Francia llorosa, & internas atque intestinas subditorum suorum defectiones, & seditiones, quas in nostros seminare, & fovere curarunt, justo Dei iudicio, nunc cum hac praelo committimus, graviter patientes, quamque sit verum illud Ovidii (z) tandem recognoscentes,

Utque reliquit,  
Sic linquendus erit, legem enim sibi dixerat ipse.

Et Cassiodori (a), Paena justa peccati est, ut unusquisque in se recipere possit, quod in alterum perturbus exercuit.

28 Re enim vera, Reges, qui aliorum perduellibus favent, subditos sibi homines ad idem facinus provocant; & inter nullos magis, quam inter eos observari oporteret, ut quod in uniuscujusque Majestatem admittitur crimen, quasi in omnium injuriam factum, ab omnibus vindicetur, illudque Menandri (b) praeculis, & praemanibus habeatur,

Injuriarum si improbis auctoribus  
Reponeremus ultionem singuli,  
Nobis putantes fieri, quod fit alteri,  
Inter nos juncti conspiratis viribus;  
Non praevaleret innocentiae impetus  
Audax malorum, qui custoditi undique,  
Jussique poenas quas merentur pendere,  
Aut nulli penitus essent, aut pauci admodum.

29 Unde merito Saavedra (c) noster, in nostris terminis dicere potuit: Su causa hace el Principe, que no consiente en la Dignidad del otro la desestimacion, o inobediencia, ni en su persona la traicion. Cognatio quippe illa, quam, Ulpiano (d) docente, inter omnes homines Natura constituit, & alterum alteri insidiari nefas esse suadet, longè fortiori vinculo Reges adstringit, qui vel ex formulis jam inde ab heroicis temporibus ductis, se invicem, Fratres appellare solebant, ut pluribus Bignonius (e) ostendit, & aperte Cassiodorus (f), ita apposite, ad rem de qua agimus, loquens, & vivis veluti coloribus Reges, & tempora nostra depingens, eosdemque ad Pacem adhortans, ut piaculum duxerim, ejus-verba hic ad litteram non inserere, quae sic habent: Adeo inter Reges affinitatis jura, Divina coalescere voluerunt, ut per eorum placabilem animon, proveniat quies optata populorum. Hoc enim sacrum est, quod nulla permittitur commotione violari. Nam quibus obsidibus habeatur fides, si non credatur affectibus? Sociantur proximitate Domini, ut Nationes divise simili debeant voluntate gloriari, & quasi per alveos quosdam concordiae alvata se possint gentium vota conjugere. Quae cum ita sint, miramur animis vestros sic causis mediocribus excitatos, ut cum filio nostro Alarico Rege durissimum subire velitis conflictum: ut multi qui vos metuunt, de vestra concertatione latentur. Ambo estis summorum gentium Reges, ambo etate florentes. Non leviter Regna vestra quassatis, si data partibus libertate configitis. Virtus vestra Patrie non fiat inopinata calamitas, quia grandis invidia est Regum in causis levibus gravis ruina populorum. Dicam liberè, dicam affectuose, quod sentio, impatiens sensus est ad primam legationem protinus arma movere. A parentibus, quod queritur, electis iudicibus expetatur. Nam inter tales viros, & illos gratum est dare, quos medios volueritis efficere, &c.

30 Neque minus in eandem rem illa alia Senecae (g) conducunt: Quae tanta vos fert ira, cum una stips, idemque sanguis sitis? Vel quae furia in mutuum sanguinem egere? Nam neque feris inter se bella sunt, nec si forent, eadem homines decerent, placidum proximumque Divino genus.

31 Quod verò supra tetigimus, nimirum ex invidia, vel zelotypia crescentes Hispaniae potentiae, ac Monarchiae, haec Gallorum bella procedere, quam ipsi, Reges nostros gloriosissimos uni-

(x) Sup. Emb. 5.  
(y) Lips. in Polit. lib. 5. cap. 18. & in manud. ad Stoic. Philosoph. lib. 3.  
(z) Ovid. 13. Metam.  
(a) Cassiodor. lib. 9. epist. 2.  
(b) Menand. in comad.  
(c) Saaved. Emp. 90. pag. 668.  
(d) L. ut vim. D. de just. & jure, l. non tantum, D. de appel.  
(e) Bignon. in notat. ad Marculfum, pag. 464.  
(f) Cassiodor. lib. 3. epist. 4.  
(g) Sen. lib. 2. contr. 1.

universalem facere velle, queruntur, seque solos & unicos totius mundi Arbitros constituere, ut plures Auctores (h) praeferam, qui id aperte testantur, & praesertim Anonius (i) illum, qui vindicias Gallicas adversus Armacanum vulgavit. Et nostrum Politissimum Saavedram, (k), qui de his Francorum aemulationibus, & tecnis optime agit. Satis ipse idem Christianissim. Rex Ludovicus XIII. in eo proclamate manifestum effecit, quod anno 1635. ad excusanda eadem bella, per totum Orbem sparsit, ubi hanc veluti primam & praecipuam causam proponit: Que la España no ha cesado del injusto deseo, que ha conservado siempre, de usurpar los estados de sus vecinos, para establecer esta universal Monarquía, a que ella aspira.

32 Quod tamen, salva tantae Majestatis reverentia, quam se aliter habeat, plene plures Auctores ostendunt, qui dicto Proclamati responderunt, & praecipue Franciscus Zipaeus (l), multis testimoniis, & exemplis, antiquis, & recentibus probans, nihil multis ab annis à nostris Regibus possideri, quod ad ipsos haereditario jure, vel aliis legitimis titulis non pervenerit, semperque summo studio pacem optasse, filiisque à parentibus commendatam fuisse, ejusque consequentiae, aut conservandae causa, plures urbes, & ditones, justo bello occupatas, veteribus Dominis restituisse, propriarumque injustas occupationes, & detentationes tolerasse. Cum Franci, ex adverso, nihil non moliantur, ut undequaque, quo jure, quave injuria, suos fines extendant, & ut supra dixi, quod propriis viribus consequi nequeunt, secretis vel apertis Suecorum, Batavorum, aliorumque haereticorum, perduelliumve subsidiis, mutuisque foederibus obtinere conentur. Quod & pueri sciunt, & qui nondum aere lavantur, ipsisque Francis, ita graviter exprobrat Francus, & ipse Auctor Armacanus (m), sive quis quis ille est, qui de Gallico Marte librum scripsit, ut superfluum planè videri possit, in his injuriis dolendis, vel recensendis immorari.

33 Tantumque à veritate abest ille alter, qui de affectata universali Monarchia praetextitur titulus, ut potius Prudentes pariter, ac Potentes Hispaniae nostrae Reges, saepe sapius oblatam, sibi occasionem illius Indispensandae, & Galliae Regnum subvertendi, vel in plures rivulos divertendi, quod vulgò dicimus Acantonarle, eam, proprio imperio contenti, sciverint praeterlabi. Quamvis Nicephori, (n), & aliorum Politicorum (o) Dogma non ignoraverint, qui rerum gerendarum occasionem summa cum diligentia aucupandam monent, quae si aufugiatur, aquila instar in altum aërem advolat, eosque, qui se persequuntur, deridet, neque ut ad eos redeat, in animum inducit.

34 De qua Regum Hispaniae hac in parte continentia, & mirabili temperantia, pluribus etiam agit Franciscus Zipaeus (p), addens, quod sicubi partes suas pro Romani Imperii iuribus defendendis, vel Augustissimae domus Austriacae dignitate tuenda, aliisque Dynastis protegendis interposuerunt, id utique Justis de causis, & ab omni prorsus ambitione, affectatove in totum Orbem arbitrio remotis, operati sunt.

35 Thomas etiam Campanella (q), cujus libellus de Monarchia Hispaniae, hanc zelotypiam exteris indidit, idem latius ostendit, & invictum illum, & Magnanimum Imperatorem Regemque nostrum Carolum V. reprehendit, quod Mundi Dominus esse desiderit, quia oblati sibi à Fortuna occasionebus, uti noluit, vel nescivit, cui tamen bene Fr. Joannes Salazarus (r) respondet.

36 Et novissimè Nicolaus Vernulejus (s), in certamine Oratorum super illa quaestione, utri de Ecclesia Romana magis meriti sint, Franciae, an Hispaniae Reges? sic Oratorem Pontificium, post alia, in horum favorem, & defensionem loquentem inducit. Vides invidiam, & metum animadverto. Invidia est Hispanicae potentiae incrementum non ferre, quod aut natura jure hereditatis adfert, aut affinitas conciliat. Nihil enim hodie Catholicus Rex in tanta tot Regnorum amplitudine possidet, quod ipse, aut ejus majores Austriaci, armis usurparint. Illi, jura sequuti hereditates adierunt, & successoribus suis reliquerunt. Illi, oblatas per affinitatem regiones occupaverunt, & in illis hodie jus dicit, qui legitimus est haeres. Metus est, & inanis sanè metus, injuriam ab eo formidare, qui neminem injuria laesit, nullius Regni pacem perturbat, suos fines tantum tuetur, & hostem, praeter Religionis Catholicae hostes, non habet. Nullius provincias invadit, & si quae illi in manibus sunt arma, in hereticos convertit, qui aut impie perturbant, aut in Belgio acitum ejus patrimonium, & receptam à majoribus Religionem evertere contendunt, &c.

37 Hoc per se se adeo certum, & contestatum, certius adhuc, & contestatius redditur, si Hentici Regis nostri hujus nominis IV. dictum & factum recolamus, qui Joanne Baptist. Lambertino (t) praeter alios testante, cum Catalani, qui Joanni Aragonum Regi rebellaverant, eum

Yyy 2  
(h) Eleivirius in epist. praefixa ad Monarch. Thom. lib. 5. pol. cap. 16. Pat. David. in integ. tractat. de occas. Campan. Arrojos, & Cassanus.  
(i) Anon. in vind. Gallic. cap. 19. ex pag. 169.  
(k) Saaved. Emp. 75. ex pag. 573.  
(l) Zipaeus adversus Castran. lib. 3. cap. 7. & seqq.  
(m) Mars. Gallic. lib. 1. 1. cap. 39. & seqq.  
(n) Niceph. lib. 16. cap. 12.  
(o) Latè Canonher. in aph. pol. tom. 1. pag. 249. Lips.  
(p) Zipaeus. ubi sup.  
(q) Thom. Camp. in Monarch. Hispan. cap. 2. & seqq.  
(r) Salaz. in Polit. Hisp. prop. 11. §. 5.  
(s) Vernul. in cert. oratorum, orat. 3.  
(t) Lamber. in Theat. Reg. Hispan. pag. 91.




exorarent, ut eos subditos acceptaret, recusavit, & incredibili temperantia regnandi, aviditati modum adhibuit, tam opportuna Regni sui amplificandi facultate spreta, à multis Regibus magnopere exoptata.

38 De invicto quoque Carolo V. Max. Viperanus (u), Chytreus (x), & alii commemorant, vivum, & morientem semper in ore habuisse, numquam nisi invitum coactumque bella se suscepisse, illata verò sibi fortiter propulsasse, & quòd si vel universam Galliam occupare, sibi contingeret, eandem tamen ultrò Francisco I. rivali suo restitueret, modò id exiguum, quod suum erat, tutò sibi per ipsum possidere liceret. Quod evidentius adhuc ostendit, cum inter ipsum, & eundem Franciscum Madridii de pacis conditionibus, ipsoque Francisco liberè dimittendo, transigeretur. Is enim, ut Sandovalius (y) recenset, Imperatori, tamquam jam amico, & consocero proposuit, ut communi Marte Romanum Pontificem, & Rempubliam Venetum adorientur, & compilarent, neminemque in Mundo restare, qui adversus duos, ita Potentes Reges arma sumere posset. Cui propositioni Cæsar noster, semper Magnus, aut Maximus, & tunc seipso Major, & Augustior, hæc in verbis respondit: *Ya, Hermano, aveis visto quan niño era yo quando nuestro Señor me hizo merced de tantos, i tan grandes Estados, i como despues acá me ha dado vitoria de mis enemigos. I siendo esto así, sed cierto que no tengo voluntad de buscar enemigos, ni alzarme con lo ageno. I en lo que decis, que el Papa es bullicioso, i los Venecianos amigos de Turcos, bien sabeis quan poco les debo, i que en nada se han mostrado aficionados à mis cosas, i como han sido mas vuestros que míos. Mas esto no obstante, me parece que si en algo ellos se atrevieren contra la Fè, i contra nosotros, será bien avisarlos, mas no destruirlos. I si no quisieren reformarse, ni vos, ni yo nacimos para ser verdugos del Papa, i Venecianos, &c.*

39 Haud absimilis vox, & natura conditio in Prudentissimo ejusdem Caroli Filio, Philippo II. resplendit, cum inter insignia alia ejusdem apoghegmata, illud narretur, quod ad Georgium de Bæza i Haro, Taurinensem Prætozem scripsit (z), *Pongo à Dios por testigo, que nunca mori guerra para ganar mas Reinos, sino para conservar estos en Religion.*

40 Valeant ergo, qui affectatam à Regibus nostris universalem Monarchiam, in tantorum bellorum, ac malorum prætextum assumunt. Videantque simul, quàm injustus sit metus, aut verius invidia, quæ ex nimia eorumdem Potentia descendit, & ut ait Livius (a) suadere solet, *Ne magna imperia diuturna esse sinantur.* Cum hæc Potentia nulli usquam nocuerit, & quamvis aliquem colorem habere posset, adhuc tamen, ut Hugo Grotius (b) inquit (licet rebus nostris parum affectus) ad inferenda aded gravia, & damnosa bella sufficiens non esset. Faxitque tandem Misericors Deus, in cujus manu Regum cor est, ut duo hi, tot vicinitatis, affinitatis, & Christianitatis titulis juncti, junctis quoque animis, & armis in communem hostem illa convertant, & inter se ad pacatiora consilia suasi, inconditos hos rerum tumultus in lætiorem exitum transferant, & à Tacito discant (c), quòd etsi *Cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior sit: at quæsitæ ferro, perbrevis possessio est.*



(u) Viper. in oratio. fun. Carol. V. Chytreus in Chron. Sax. lib. 19.

(y) Fr. Prud. Sand. in vit. Carol. V. lib. 14. §. 6. pag. mihi 728.

(z) Portinus. de dict. & fact. Philipp. II.

(a) Livius lib. 4.

(b) Grotius. de jure belli lib. 2. cap. 1. §. 22. Zippæus

sup. lib. 3. cap. 7. §. 9. & in tractat. de Magistr. lib. 4. c. 7.

(c) Tacit. 15 ann.

EM

## EMBLEMA LXXXIX.

## BELLI DAMNA.



*Dario quadruplex est missum munus ab hoste,  
Rana, Sagitta simul Caspia, Mus, & Avis.  
Rana sitim, Cuspisque palam fera prælia signat,  
Fames muri inerat, Bellicus astus avi.  
Sanguineum Reges procul hinc heu sistite Martem,  
Fraudibus en geritur, vi quoque, Fame, Siti.*

## COMMENTARIUS.

**I** Ot sunt quidem, & talia damna, & pericula, quæ bella semper secum asportant, ut non solum à præsumptuosis, & voluntariis, de quibus in superioribus egimus, verum & à justis, & necessariis abstinere Pii, & Cordati quique Principes debeant, si aliæ sint viæ, quibus de causis, quæ bella indici suadent, transigi possit. Nam ut cum Tacito (a), & aliis Politicis (b) alibi dixi, remedia non debent ipsis morbis, quorum medicina prætentitur, asperiora periculosioravè esse, & secundum Senecam (c), *Abominandum remedii genus est, sanitatem debere morbo.*

**2** Huicque præsertim Bellorum, qui in se nullum, non morbum, nullam non luem clademque continet. Unde in sacris (d) literis bellum vocatur, *Milebeth*, quasi ubi homine se invicem cedendo, devorant, & absumunt, & in Latinis, secundum communem Grammaticorum opinionem à Tungero (e) relatam, per antiphrasim, *quasi minimè bellum*, nuncupatur, sicuti & Parcæ, quia *nemi ni parcunt*, sive, ut Textus (f) ait, à belluis, quòd belluarum perpetua dissensio sit, cui adridet Cicero (g) inquit: *Temerè in acie versari, & manu cum hoste configere, immane quiddam, & belluarum simile est.* Et Cassiodorus (h), qui licet Etymon à Belo Rege deducat, qui ferreum gladium primus produxit, illud tamen appellat, *Consilium atrox, crudele præsidium & ferinam certationem.* Nam etsi datum est illi prius inermem facile vincere, tamen crimini applicandum est, quòd inde posteritas potuit interire. Non enim erant prius armata certamina: sed pugnis se quamlibet fervida lacescebat intentio, unde & pugna nomen accepit.

**3** In idemque ipsum respiciens Tibullus, sic inquit:

*Quis fuit horrendos primus, qui protulit enses?  
Quàm ferus, ac verè ferreus ille fuit,*

Tunc

(a) Tacit. 3. annal.

(b) Ego post alios 2. tom. lib. 1. cap. 20. num. 110.

Admixtus ad Tacit. lib. 3. discours. 2.

(c) Senec. lib. 1. de ira. cap. 12. in fine.

(d) Samuel. 11. vers. Intep.

(e) Fung. in etym. lit. B. pag. 125. Chavas de perf.

prud. lib. 2. cap. 8. §. 1.

(f) Festus. verb. Bellum.

(g) Cicer. 1. offic.

(h) Cassiodor. lib. 1. epist. 30.



Tunc cædes hominum, generi, tunc prælia nata,  
Tunc brexior diræ mortis aperta via est, &c.  
At nihil ille miser meruit, nos ad mala nostra  
Vertimus in sævas, quod dedit ille, feras.  
Quis furor est atram bellis accersere mortem?  
Imminet, & tacito clam venit illa pede.

4 Et Petronius (i) Arbiter, ita belli damna depingit, ut dum illud geritur, Deos, Pacem, Justitiam, & Concordiam terras deserere dicat, & quod illarum loco.

Sedes Erebi, qua rupta debiscit,  
Emergit latè Ditis chorus, horrida Erynnis,  
Et Bellona minax, facibusque armata Megæra,  
Letionque, insidiæque, & lurida mortis imago,  
Quas inter Furor abruptis, ceu liber habenis,  
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille  
Vulneribus confossa, cruenta caside velat,  
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo,  
Innumeralibus telis gravis, atque flagranti  
Stipite dextra minax terris incendia portat.

5 Michaël (k) etiam Hospitalius multis est in eorumdem damnorum declamatione, sed ita verus, & elegans, ut carmina ejus præterire non possim, quæ sic habent:

Bella docent homines peccare, metumque Deorum  
Excitant, pœnas, infernaque Tartara rident,  
Hi quorum solis fiducia nititur armis,  
Proposita esse bonis in cælo præmia rident,  
Tolle metum legum, rigidi legumque Ministri,  
Emicat, & nullo retinetur sica pudore,  
Imbellem, timidumque valentior exiit armis,  
Et vita, zonæque fugit dispersa, relictis  
Rustica plebs Laribus, densæ, que proxima sylvæ,  
In cæcas penitus latebras, altosque recessus:  
Adde colonorum subiecta incendia tectis,  
Adde etiam captas eversis manibus urbes,  
Templa Deum dejecta solo, cæcosque parentes  
Natorum ante oculos; natos ante ora parentum:  
Abductas matrum gremio, sine more puellas,  
Stupra maritarum, divos, hominesque vocantur  
Ne quicquam auxilio, sed inanes lenta querelas  
Sæpius ira Deum longinquos rejicit in amos,  
At neque victorem sexus, nec commovet ætas,  
Supplicis, aut lachrymæ genua ante superba voluti,  
Nullos ille Deos, nulla aut delubra veretur;  
Quem verò fortuna ducem, non prospera vertit?  
Quem non ante bonum, quamvis animique potentem  
Alius vexcit rapidis victoria pennis?  
Ut se contineat dextro Jove natus: At illi  
Sunt tamen arbitrio comitum faciendæ suorum,  
Multa cupit servus, que dissimulare Magister.  
Cogitur: & tandem fiet dux milite peior,  
Hos addunt animos victoribus arma, &c.  
Quid nostros homines templis, arisque Deorum  
Abstînuisse manus argento credis, & auro?  
Ac mihi de nostris sermo est, nam scimus, & illos  
Templa Sacerdotum calido frædasse cruore,  
Ossaque jam vita functorum, exacta sepulchris  
Projecisse solo plumbili ventis amore.

6 Hac quoque de causa, his antiquior Homerus (l), ausus est ita in Martem invchere.

Tu Divos inter longè es teterrimus omnes,  
Nam tibi rixæ placet, bellumque, & prælia dirà.

(i) Petron. in Satyr. in carm. de bello civili.

(k) Mich. Hosp. lib. 5. poem. in epist. ad Card. Lotharen.

(l) Hom. Iliad. 5.

Alio-

Alioque (m) in loco sic habet,

Occisos gladio natos, natasque nefandis  
Abreptas manibus, violata cubilia, raptos,  
Illisosque solo pueros, stupra impia passas,  
Abductasque nurus, aut damna illata scelestis,  
Arguunt manibus.

7 Et Pindarus (n), Dulce bellum inexpertis, dumtaxat esse posse meritò cecinit. Cujus sententia jam in Adagium transivit, in cujus illustratione Erasmus (o), & in Pacis querimonia, ita plene, ac disertè hanc materiam prosequitur, ut ne spicilegium, quidem aliis reliquisse videatur, quamvis plures alii sint etiam, qui eandem retractant, quorum fragmenta Petrus Andreas Canonherius (p) con-gessit, & Ego (q) alio loco copiosam nomenclaturam.

8 Ubi etiam plures allego, qui his fortè rationibus ducti, Manichæorum antiquam hæresim renovarunt, & dicere, ac docere ausi sunt, nullam ob causam Principibus Christianis licere, etiam adversus Turcas, Hæreticos, & alios Fidei Hostes, bellum inferre. Quod licet ab aliis pluribus meritò rejectum, & damnatum existat (r), verius, & rectius existimantibus, ejusmodi hostes bello, etiam nulla monitione præcedente, impeti posse, & alios (quamvis Christiani sint) si legitimæ causæ ad illud indicendum existant; satis tamen detegit, quanta cum ratione, & cautione vires, aut virus belli tentari diffundique debeant, quod in se adeo exitialia, & periculosa continet damna, ut melius sit sæpè ægritudinem pati, quàm adeo amarum pharmacum experiri.

Nam ut Ovidianum Distichum monet (s),

Curando fieri quædam majora videmus  
Vulnera, que melius non tetigisse fuit.

Et secundum Tacitum (t),

Nonnullis morbis unicuique remedium est, remedia omittere.

Quæ damna Henricus Oræus duabus Iconibus denotat (u), currum Martis depingens, quem Furia præcipitem agunt, & universa mala sequuntur, sub hoc lemmate.

Cuncta vorat Bellum vastoque absorbit hiatu.

Et his carminibus,

Heu mala quot bellum comitantur, quanta sequuntur  
Currum, ubi vindictæ flagra furoris agunt,  
Perditio certa est: agitur crudelibus armis  
Rixæ, blasphemant lingua, Famesque Comes.

Ego verò, ut eadem Regum, ac Principum oculis aliquo Emblemate observanda, simulque aver-sanda proponam, nullum præsentii aptius efficaciusve excogitari posse existimavi, quod ex nobili illa Darii Persarum Regis historia desumitur, ab Herodoto (x), & aliis (y) latè relata. Cui, bellum Scytharum Regibus Scopasi, Taxaci, & Indathyrso facienti, rerumque omnium inopia, cum suo exercitu laboranti, tres illi Reges Caduceatores, munerum loco Avem, Murem, Ranam, & quinque Sagittas afferentes, misserunt. Quorum significationem Persæ, in varias conjectiones sententiasque divisi, satis non percipere, quousque infelicitæ belli eventu perdocti, tandem intellexerunt, Scytas non tam dona, quàm damna, mixtasque illo munere minas, Persis mandasse. Ac si apertius dicerent (ut Petrus de la Seine (z) eruditè prosequitur) Insidiis, Fame, & Siti, hoc est omnium rerum penuria, se se illos debellaturos. Hæcque, si ad eosdem conflictandos non satis essent, apertò Marte, & Sagittarum copia facile confecturos.

10 Nam ut idem Auctor pluribus ex pluribus probat, per Aves Egyptii, & alii Hieroglyphicorum Scriptores, astus, insidias, seu bellorum stratagemata denotabant. Per Murem, famem, domumque, & urbium subversionem. Per Ranam, sitim, quia Amphibium hoc animal, licet frequentius in aquis degat: semper aquam sitiit, nec vel maxime potis, satiari possit. Unde proverbio (a) locus, Ranæ aquam infundere. Et denique per Sagittas, cruorem stragemque hominum, quæ per has in præliis, non minus quàm per gladios, atque hastas, infligi solet, quarum loco Scythis sagittas in usu fuisse scitissimum est. His aptissimis symbolis (c) omnia planè damna, omnesque plagas, quas bella secum semper adducunt, significantes, Famem nimirum, Sitim, & Mortem, stragemque

(m) Idem Iliad. 22.

(n) Pindar. in Hiporthem.

(o) Erasim. in hoc Adagio, pag. 295.

(p) Canonh. in aphor. Polit. 1. tom. pag. 555. & seqq.

(q) Ego 1. tom. lib. 3. cap. 6. num. 42. novissimè Na-

then. injustitia vulnerat ex pag. 35.

(r) Ego dist. 1. tom. lib. 2. cap. 6. num. 49. & cap. 19.

num. 36. & 37. novissimè Berneget. in quest. ad Tacit. de

moribus Germa. quest. 78. ubi post alios Politicos disputat,

an bellum, cum honestate conveniat?

(s) Ovid. 3. de Ponto, eleg. 7.

(t) Tacit. 1. hist.

(u) Oræus. Icon. 5. & 6.

(x) Herod. lib. 4.

(y) Athenæus lib. 8. Clem. Alex. lib. 5. Strom.

(z) Pet. de la Seine in Nepenthe. 1. p. pag. 6. & seqq.

(a) Erasim. in Adag. pag. 12. & 97.

(b) Plut. in apophth.



que hominum, quibus Pestis quoque frequenter sociari solet, ac pedisequa esse, juxta illud Hesiod (c).

*Jupiter his celo clades immissit ab alto  
Famem Pestemque,*

Et bracteatum os Monostichum Moderni Epigrammatarii (d),

*Bella famem, pestemque famem mortalibus offert:  
Est igitur bellum pejus utroque malum.*

11 Quas pigas, sanguineum Bellonæ flagellum appellat Lucanus (e),  
Sanguineum velut quatiens Bellona flagellum.

Et eleganti carine descripsit Virgilius (f), sic inquit.

*Quippe ubi fas versum, atque nefas: tot bella per Orbem  
Tam multæ scelerum facies: non ullus aratro  
Dignus honos, squalent abductis arva colonis,  
Et curvæ rigidos falces conflantur in enses.*

12 Et ad us fortè alludere voluerunt Carthaginenses, qui cum viderent Romanos, Dracones, & serpentes præsignibus militarium vexillorum gestare solitos, quasi omnia essent devoraturi: Ipsi, in suis locustas posuerunt, quæ pariter ac mures, segetes vastant, famem inducunt, atque etiam, ut Plinius ait (g), cum serpentibus pugnant, ipsosque interficere solent.

13 Sallustius (h) etiam, quem ad hoc transcribens, nobilitatæ veritatis historicum D. Augustinus appellat, cesarem inducit, in oratione, quam in senatu de Catilinæ conjuratione habuit, ita de damnis belloloquentem. *Rapi Virgines, pueros, divelli liberos parentum complexu, matres familiarum pati, quæ victoribus collibisset, fana, atque domos spoliari, eadem & incendia fieri. Postremam armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri.*

14 Et pleribus aliis relictis quæ de Bellorum damnis, & calamitatibus obvia apud omnes ferè Auctores habentur, sufficiat pro multis, Erasmus (i) adire, qui postquam ea, non minus verè, quam eleganter & dolenter ostendit, finem, exitum, aut eventum belli quantumvis feliciter gestum, tandem ess inquit, perditionem, vastitatem, inopiam, famem, & turpissimam malorum Læarnam, ut victis fleat, & victor doleat. Abacta armenta, protritas segetes, trucidatos colonos, exustas villas, excisas urbes, adempta bona omnia, omnia adhuc plena metu, omnia sanguine tequentia, omnia terna consternationis, luctus, querelarum, lamentorum, construptas Virgines, vim passas honestas Matronas, juventutem ad servitutem abreptam, factos orphanos, ac viduas. Nihil enim tam turpe nihil tam crudele, nihil tan horrendum, aut immane, quod non effrenis militum petulantia dedignare ausit. Quippe quia, ut Lucanus ait (k).

*Nulla fides pietasve viris, qui castra sequuntur,  
Venalisque manus, ibi fas ubi plurima merces.*

15 Unde Ludovicus XII. Gallie Rex, ut ejus Annales referunt (l), dicere solebat, *Plebem & rusticos esse pacis tyrannorum, & militum tyrannos autem, & milites pacis esse diabolorum.* Et Ferdinandus Dyalos Piscarie Marchio (m) ut refert Paulus Jovius, *Nihil iis, qui in bello versantur esse difficilius quam Martem simul & Christum pari disciplina coluisse, quando mos bellicus, in hac corruptela militis, à justitia, & Religione penitus aversus esse videretur.*

16 Quod tiam prius docuisse videtur Cassiodorus (n), sic elegantissimè inquit. *Militaribus officiis assueti, civilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc justitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia super intendunt: dum nescio quo pacto assidue dimicantibus difficile est morum custodire mensuram.*

17 Videant ergo Principes, quorum munus est justitiam diligere, leges servare, delicta compescere, sicarie, homicidas, latrones, sacrilegos, adulteros, & sceleratos alios homines procul à suis Regnis eminare, præcipuamque suam felicitatem in felici, ac pacata imperii sui gubernatione constituer, quomodo hæc consequi poterunt, ubi bellis deserviunt, aut deserviunt, quæ omnium prædiorum scelerum genera docent, & ex quibus omnis impietatis sentina dimanat?

18 Quod si piè justè regnantibus, nulla melior majorve corona optari debet, quam illa, quæ ob civem servatum contingit, ut in superioribus (o) dixi, videant iterum, quam longè ab ea consequenda consistant, qui se suosque cives tot mortibus, tot stragibus, cladibus, & calamitatibus, pro levibus sæpè rebus, exponunt.

19 Certè Atoninus Pius Imperator apud Capitolinum, *Malle se, dixit, unum civem servare, quam mille hosti perdere, quod alii prius à Scipione Africano dictum scribunt, & de Michaelæ*

Græ-

(c) Hesiod. in ver. lib. 1.  
(d) Ovens lib. 1. Epigram. 118.  
(e) Lucan. lib. 1.  
(f) Virg. 1. Græ.  
(g) Plin. lib. 11. cap. 89.  
(h) Sallust. in Catilin. relatus à D. August. lib. 1. de ciuit. Dei. cap. 5.

(i) Erasm. in diu. Adagio dulce bellum inexpertis, & in pacis querimonia.  
(k) Lucan. lib. 10.  
(l) Ann. Fran. in Lud. XII. pascua.  
(m) Paul. Jovius. in vita March. de Pesc. lib. 2.  
(n) Cassiod. lib. 1. epist. 12.  
(o) Sup. Emb. 66.

Græcorum Imperatore Cedrenus (p) enarrat, quod cum à Leone Armenio, Orientalium Copiarum Duce, Imperio spoliatus fuisset, licet illud armis recuperare posset, ut erat pacis studiosus, suorum quemdam ad Leonem cum diademate, purpura, & calceis coccineis (qui imperii insignia erant) misit, Imperio se ei cedere indicans. *Quid vel vitam amittere, quam guttulam unam Christiani sanguinis effundere mallet.* Quæ etiam ratio, Surio (q), & aliis (r) narrantibus, alium Hiberniæ Regem permovet, fratri spoliandi falces remittere, quamvis à Sancto Malachia Episcopo instigaretur, Regnum, quo per injuriam pulsus erat, per vin recipere, respondens. *Nolle se pro terreno suo honore humanum sanguinem effundere, qui contra ipsum de terra ad Dominum proclamaret.*

20 Accedit his, valdè semper in bellorum initiis cunctandum, & consulendum, vel ex eo, quòd juxta Sallustii (s) celebre documentum, à Paulo etiam Æmilio (t) usurpatum. *Omne bellum sumitur facile, ceterum ægerrimè desinit, nec cujus potestate initium, ejus & finis est, incipere cuiusvis, etiam ignaro, licet, deponi, cum victores velint.* Multotiesque contingat, ut nec ipse Princeps, qui bellum cæpit, ab ejus damnis, & injuriis, nedum alienos, verum ne suos quidem possit milites cohibere. Nam Seneca Tragædo (u) testante.

*Arma non servant modum,  
Nec temperari facile, nec reprimi potest,  
Strictus ensis ira, Bella deleat cruor.*

21 Ac quemadmodum, Polybio (x) dicente, qui igne immisso Sylvam incenderit, eventum reliquum arbitrio suo moderari non potest; sed ignis quocumque impetus fert, pabulum quærit, & in ipsum incendii auctorem sæpè convertitur: ita exorta bellorum incendia, non facile restringuntur, & ferè semper ex uno malo consilio inito, longi temporis bella, & Orbis mutationes sequuntur, & qui patriam incendit, cum illa conflagrante conflagrat, pereunteque perit.

22 Ut omitam adeò Martis aleam accipitem esse, ut qui se victorem sperat, sæpè victus evadat, fortuna semper, sed in bellis præcipuè (quidquid Onosander (y) contrarium sentire videatur) dominante, suosque Euriops sive accessus, & recessus indesinenter agente, adeò ut nullam quis majorem vincendi spem habere possit, quam quia victus, jam fuerit, & alter perendi, quia jam nuper victor evaserit. Quod argumentum benè quidam Modernus Emblematarius (z) illustrat, puerulos talis ludentes depingens, cum lemmate *Anceps alea Martis*, & satis expressit Virgilius (a) dum dixit.

*Non me quicumque es inulto  
Victor, nec longum letabere, te quoque fata  
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.*

Homerus (b).

*Communis Mars est, & interfectorem interficit.*

23 Et Latinus Pacatus (c) sic inquit, *Victoria non alia ratione penmata fingitur, nisi quia indicat, quòd hominum cum fortuna euntium, non cursus sit, sed volatus.*

24 Nec sequius Ægesippus (d) his verbis: *O varia, atque incerta bellorum alea, quæ sicut jactu quodam, potius quam virtute, plerumque inopinatis ludit eventibus, sufficiens novos exitus. Namque & hic tactus sunt, non tesserarum quidem, sed sagittarum telorumque plurium, lapidum quoque, quibus sæpè victor sternitur alieno vulnere, & cum aliena spolia rapit, ipse despoliatur.* Et Agathias (e), *quis ignorat belli vicissitudines, non certa necessitate accidere, nec eos, qui nunc fortè falluntur, eandem semper sortiri fortunam? sed aliter longè, ut pleraque evenire, siquidem comperit est, ad victos sæpè redire victoriam, & calamitosos plerumque fortuna juvari.* Et Nicetas Coniates (f). *Multæ sunt belli vices, tesserae instar voluntur res mortalium: nunc his nunc illis favet victoria.*

25 Quòd intelligentes Athenienses, eandem victoriam, quam ut deam colebant, involucrem, aliisque orbam, & fano, & statua decorarunt sic existimantes, perennem ipsis fore deæ presentiam, negatis illi alis, quibus avolare solebat, quemadmodum Tyrii Apollinem, & Lacedæmonii Martem, quos sibi tutelares optabant, simili de causa, ut Diodorus Siculus (g), & Pausanias (h) referunt, aureis catenulis alligabant. Unde Adrianus Junius (i) ansam sumpsit hujus Emblematis confingendi.

*Latoidem Cadmea Tyros devinxerat auro,*

Lzz

Gra-

(p) Cedren. in Mich.  
(q) Sur. in vita S. Malachia.  
(r) Beyer. in apophth. Christian.  
(s) Sallust. in Jugurt.  
(t) Paul. Æmil. de gestis Fran. lib. 1.  
(u) Sen. in Herc. fur.  
(x) Polyb. lib. 10. hist.  
(y) Onosander in præfat. sui strategici quem refert Berneger. in quest. 150. ad Tacit. An in bello sit aliquod fortunæ momentum?

(z) Buxhorn. Zuerius. Emb. 1.  
(a) Virgil. Æneid. 10.  
(b) Homer. in Iliad.  
(c) Pacat. in Paneg. ad Theod.  
(d) Ægesip. lib. 5. de excid. Hier. cap. 30.  
(e) Agathias. de bello gothorum.  
(f) Nicetas in ann. Balduin. pag. 661.  
(g) Diod. lib. 17.  
(h) Pausan. in Lacon.  
(i) Jun. Emb. 11.



Gradivum tenuit compede Sparta gravem,  
Præpete privation penna Victoriam Athenæ,  
Quisque suis votis cogit adesse Deum.

26 Vanè quidem, & ridicule omnes, cum nulla ex his catenulis sperari victoriæ permansio, au securitas possit; & ut aliquam aliquando belligerantes sibi promittere valeant, ea, ut Onosander (k), & Leo Imperator (l) prudenter scribunt, ex justa bellandi causa, maturoque prius consilio perpensa, & ex Dei Auxilio, supplicibus votis, & orationibus præcedentibus (ut infra latius dicemus) auspicianda sit. Hic enim solus, ut Regius vates (m) cecinit, Rex magnus super omnem terram, subiecit populos nobis, & gentes sub pedibus nostris. Et secundum D. Augustin (n). quando pugnatur spectat, & partem, quam inspicit justam, ibi dat palmam. Unde & Salvianus (o) dicere potuit: Idèd Deus infirmis hostibus cuncto tradidit, ut ostenderet scilicet, non vires valere, sed causam.

27 Qnòd vel ipsi Athenienses, licet victoriæ alas ademerint, sæpè sæpius experti sunt, magno suo malo ceteris Nationibus indicantes, nullam Rempubliam instabiliorem esse, quam quæ sæpius arma tentaverit. Quoties enim in extremum discrimen Athenæ venerunt? à Persis exustæ, à Lacedæmoniis oppressæ, ac mœnibus spoliata. A Philippo fractæ, ab altero Philippo afflictæ: à Mitridate occissæ, & à Sylla tandem prope modum deletæ. Quin & Bellatrix illa Roma, quæ se Gentium omnium domitricem, & triumphatricem jactavit, à Tatio capta est, à Porsena obsessa, à Gallis incensa, à Pyrrho territa, ab Annibale concussa, suis denique civilibus armis dilacerata.

28 Unde Jacobus Bruck (p), armatam manum pingens, quæ armatum suis spinis hystricem tangit, & angit, quo symbolo, Bruchio non viso, vel non citato Saavedra Noster (q) in alium finem usus fuit, hoc Emblema composuit.

Nulla potens armis Respublica floruit inquam,  
Armis alterius quin superata foret.  
Armatum Armatus timeat, nec robore ferri,  
Se efferat, in tuta sorte pericla latent.

29 Maneat ergo, bellum non esse facilè suscipiendum, nec certam pacem sperata victoria permutandam. Et de nulla res magis, aut crebrius deliberandum esse, quàm de bello, in quo bis peccare non licet, & ad quod Princeps vix descendere debet, etiam inevitabili necessitate permotus, nisi omnibus aliis primò remediis tentatis, & frustra consumptis. Cum nullum sit tan felix bellum, quo non potior iniqua pax sit, si sumptus, si discrimina, & reliqua damna, quæ ex illo provenire ostendimus, perpendamus, quæ verè satis hoc Monastico clausit ille qui dixit:

Tot mala sunt Bello, rutilo quot sydera celo.

30 Et prudentem quemque Principem monent (r), ut de jure suo citius decedat, quàm de summa periclitetur, & ut tantam fortunæ plagam levi lateris inflexione declinet.

31 Utrum autem, quo casu bellum excusari non potest, magis expediat, illud intra proprias provincias suscipere, vel in alienis, & hostilibus exercere? latè ad utramque partem ab omnibus ferè Politicis disputatur, & elegantem de hac quæstione dissertationem Nicolaus Vernulejus (s) scripsit. Frequentiusque in hanc ultimam iri solet, cui & Ego cum nostro Saavedra (t) calculum fero, si id occasio permissit, & in bellum indicentis, vel suscipientis voluntate consistat. Hac enim ratione, damna ipsius belli, quæ adèd lato sermone retulimus, in hostica, ut plurimum transferuntur, & bellum inferens, suos milites ad vigilandum, & fortiter dimicandum magis adstringit. Quam in rem cum plura testimonia, & divinarum atque humanarum Historiarum exempla, supra citati Auctores adducunt, contentus ero illud Romanorum expendere. De quibus Cicero (u) sic scripsit. Fuit proprium Populi Romani, longè à domo bellare, & propugnaculis Imperii, sociorum fortunas, non sua tecta defendere. Unde & Polybii (x) monitum fluxit, Bellum in hostile solum transferre, quantum possumus, debemus. Nam ea ratione magis terretur hostis, & ad sua tutelanda revocatur.

EM

(k) Onosand. cap. 4. Stratag.  
(l) Leo Imper. in Tactic.  
(m) Psalm. 146.  
(n) D. August. epist. 194.  
(o) Salvian. lib. 1. de provid.  
(p) Bruch. in Emb. 2. p. Emb. 19.  
(q) Saaved. Emp. 59.

(r) Jul. Ferrer. Agric. Sadolet filiar. Junius Scrib. Ayala. Menochius Marquez, & alii apud. Quignonium in addit ad dissert.  
(s) Vernul. fol. 141. & seqq.  
(t) Saaved. emp. 91. pag. 675.  
(u) Cicero. pro legè manilia.  
(x) Polyb. lib. 1. hist.

EMBLEMA XC.  
REGUM BELLA POPULOS QUASSANT.



Ecce Notus, Boreasque furunt: Gravis imminet ira  
Jamque in bella ruunt: iste flat, ille restat.  
Quid faciat pelagus, ventis quatientibus undas?  
Turbatur præceps: hinc furor, inde pavor.  
Rex Aura imperii: Populus mare: prælia sævi  
Dum Reges miscent, Plebs furit, audet, hiat,

COMMENTARIUS.

**I** T si de Belli damnis Lernæisque faucibus, aut facibus, satis dixisse videri possim, & pauciora dicere conveniret, si Deus pœcatorum Nobis tempora largiretur: cum tamen, proh dolor, per tot annorum curricula inter Christianos, & affines Principes unum bellum alterum trahat, & illorum finis, nec dum appareat, non verebor pluscula adhuc alia in eorum detestationem subnectere, & cum Poeta canente concinere.

Bella necant homines, faciunt sine honoribus Aras,  
Urbis & agrorum depopulantur opes.  
Ab pereat tanti fuerit qui criminis auctor,  
Tristiaque hœnanas misit ad arma manus.

2 Deumque, & ipsos simul Principes exorare, ut inter eos cesset Dominandi libido, nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus; feritas rebellandi, & si quæ similia his sunt, quæ in bellis jure culpantur, & ad pacatiorem mentem, & saniora consilia redacti, cognoscere incipiant, quietem suavissimam Populi, & tranquillam dispositionem regionum, ut bene Cassiodorus (b) admonuit, præcipuam gloriam, & eximium præconium esse Regnantium. Seque pro remedio, salute & conservatione, non pro strage, & internecione datos esse cunctorum.

3 Indeque Herculem, & præclaros olim Heroas, atque Imperatores Callinici cognomento, quòd Servatorem significat, ut Plutarchus (c), & alii (d) tradunt, esse gloriosos. Cujus se nullatenus dignos reddere poterunt, qui, ut cum Seneca (e) loquar, Ubi se tam Magnos, quàm audiunt, credunt, attrahunt supervacua, & indiscrimen omnium perventura bella, & se ipsos, ac suos pari-

Zzz 2

(a) D. August. epist. 207. in cap. quid culpatur. 23.  
(b) Cassiod. lib. 5. epist. 39. & lib. 2. epist. 29. & lib. Seleuco. Procop. lib. 11. de bell. Pers. ubi de Justiniano. 6. epist. 23.  
(c) Plutarch. in Coriol.  
(d) Pindar. Od. 20. ubi de Hercule. Justin. lib. 38. ubi de  
(e) Senec. lib. 6. de benef. cap. 30.